

Werk

Titel: Quaestionum Charisianarum specimen

Autor: Morawski, C. von

Ort: Berlin

Jahr: 1876

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0011 | log37

Kontakt/Contact

[Digizeitschriften e.V.](#)
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

QUAESTIONUM CHARISIANARUM SPECIMEN.

In Charisii arte grammatica, quae plurima frustula antiquae doctrinae continet, caput XV libri primi imprimis abundat observationibus grammaticis melioris notae. Ex quibus vero auctoribus eas excerpserit Charisius, difficilis est et dura quaestio, ad quam solvendam non multa adhuc viri docti protulerunt. Attigit quidem eam Keilius in praefatione Vol. I. Gramm. Lat. p. XLVII, diligentius pertractavit Schottmuellerus in dissertatione, quam scripsit de *C. Plinii Secundi libris grammaticis*, utriusque vero opiniones percensuit Christius in Philologi vol. XVIII p. 108 sqq. et ipse afferens, quae de hac re sentiret.

Atque ut ab eo, qui edendis grammaticis Latinis nobis haec otia fecit, incipiam, Henricus Keil in capite XV Iulii Romani doctrinae multa vestigia inesse putavit atque imprimis p. 50 sqq. et p. 93 sqq. ex huius grammatici scriptis Charisium hausisse suspicatus est. Idem Keilius praeterea Comminianum auctorem Charisii in hoc capite perscribendo fuisse coniecit, cuius grammatici nomen p. 50, 8 (Cf. ib. adnot.) excidisse ei visum est.

Similem autem opinionem protulit Schottmuellerus, qui tres quasi partes in illa artis Charisianae particula distingui posse statuit. Plurima quidem ex scriptis Romani esse sumpta; quamvis enim grammaticus ille quattuor tantum locis nominaretur, multa tamen in hoc capite tantopere cum iis, quae in capite XVII sub nomine Romani proferrentur, congruere, ut alii auctori quam Romano vindicari non possent. Nec solum plurima, sed etiam optima, quae caput XV contineret, Schottmuellerus a Romano esse mutuatum Charisium suspicatus est; qua sententia nixus illius auctoris scriptis omnia adiudicavit, quae in hoc capite doctrinae sunt paullo vetustioris et uberius eruditionis vestigia prae se ferunt.

Pauciora vero putat ex Palaemonis arte Charisium huc transulisse, cuius doctrinae frustula ex crebro usu particulae *velut* cognosci possint atque ex consensu cum opinionibus in capitibus quae praecedant prolatis. Quae autem neque Palaemoni neque Romano vindicari possunt, haec Schottmuellerus non ex ullo tertio grammatico excerpisse Charisium statuit, sed ipsum quaedam protulisse putat, quae ineptiis et exemplorum inopia a ceteris distinguerentur.

Ab horum virorum opinionibus prorsus diversam Christius exposuit sententiam. Qui quidem Iulium Romanum praecipuum Charisii fontem in hoc capite perscribendo fuisse negat. Ex verbis enim, quae initio legantur p. 50, 8—51, 20 apparere, totam hanc particulam (p. 50—112) ex maiore opere, fortasse *de Latinitate* inscripto excerptam esse. Romanum vero aliquotiens laudari 53, 12. 56, 4. 61, 5 ubi diversam habuerit opinionem, ex quo manifestum esse, his locis exceptis cetera ex alio grammatici opere esse sumpta. Quod vero observationes in capite XV prolatae cum Romani sententiis, quas caput XVII continet, saepissime consentiunt, hoc non ita Christius explicat, ut Charisium ex Romani scriptis hausisse statuatur, sed antiquiorem scriptorem utriusque grammatici fontem fuisse contendit. Atque hunc scriptorem, ex quo aut Charisius ipse hauserit aut auctor, quem Charisius in capite XV secutus sit, sua sumpserit, Flavium Caprum fuisse Christius coniecit.

Virorum doctorum, qui in hanc quaestionem inquisiverunt, opinionibus expositis, quae de hac re ipse sentiam, proferam statimque moneo, me certos auctores Charisii non semper eruere potuisse et saepius in eo tantum elaborasse, ut diiudicarem, utrum Charisius in hoc XV capite unum an plures secutus sit auctores.

Antequam disputationem ipsam ingrediar, necesse est, aliquid praemittam de totius capituli dispositione.

Initio igitur inde a p. 50, 8 usque ad p. 51, 25 quaedam legimus, quae prooemii vice funguntur. Hoc vero prooemium excipiunt observationes, quae ad singulas nominum Latinorum terminationes spectant; atque hae observationes ita sunt comparatae, ut catholicis quae dicuntur subiciantur quaestiones de verbis dubiis iisdem litteris terminatis, ad quas catholicum pertinet. Qua quidem disputatione maxima pars capituli expletur inde a p. 51, 25 usque ad p. 93, 3. Sequuntur vero eam observationes quaedam

generales de nominibus, quae singulari vel plurali numero carent (p. 93, 3 — 94, 8) clauditurque totum caput enumeratione diversorum nominum, quae controversias apud grammaticos moverunt, quaeque nullo ordine terminationum observato proferuntur.

Prooemio igitur praemisso initium capitis faciunt quaestiones de nominibus, quae vocali terminantur. In hac quidem particula ante omnia notandum esse puto, disputationem de *a, e, i* litteris (51, 26 — 63, 8) et ratione loquendi et doctrina ab iis, quae sequuntur, differre.

Masculina, quae in a litteram veniunt, sedecim plus minus sunt legimus initio 51, 26. Similis autem loquendi ratio identidem in hac parte repetitur. *In — veniunt* legimus: 51, 26. 51, 31. 52, 2. 53, 19. 53, 24. 53, 27. 58, 26. 59, 16. 62, 28. Numerus nominum, quae eadem clauduntur terminatione, apponitur: 51, 26. 51, 31. 52, 2. 53, 19. 58, 26. 62, 28. Quorum quidem similia in iis quae sequuntur frustra quaeres.

Doctrina porro grammatica non consentit cum ea, quam inde a pagina 63, 8 deprehendes. Ibi consuetudini maximum momentum in solvendis grammaticis controversiis tribuitur. Initio vero capitis consuetudo saepe repudiatur, ut ratio incorrupta permaneat aut color servetur Romanus.

Ita p. 53, 25 forma *nequam* reicitur, *nequa* probatur.

Contra consuetudinem defenditur genetivus *amforarum* 55, 21 cum Romanus consuetudinem secutus, si numerus huic nomini iungatur, *amforum* dicendum esse statuerit (p. 56, 4) et in eodem capite haec observatio comprobetur p. 100, 19.

P. 60, 10 nominativus *plura* commendatur, repudiatur *pluria*, quamvis haec forma consuetudine firmata fuerit (cf. p. 127, 7) probeturque in eodem capite p. 73, 14.

P. 61, 1 ablativus *mare* defenditur, cum consuetudo per *i* locuta sit (cf. p. 61, 11)¹⁾.

Romanus color huic grammatico servandus esse videtur. Itaque legimus p. 52, 24: *commodius tamen senserunt, qui toreumatum et poëmatum dicendum putaverunt, primum quod haec magis ad Romanum colorem videntur accedere . . .* Cf. etiam p. 62, 24 et

¹⁾ Observationem, qua forma *margaritum* p. 58, 3 contra consuetudinem (cf. p. 108, 6) commendatur, hic non attuli. Etenim nescio an haec sententia potius Charisio ipsi, quam eius auctori sit tribuenda.

imprimis p. 56, 11 ubi auctor eos grammaticos perstringit, qui Graecae linguae ratione moveantur: *sed ego, inquit, omnium ineptissimum duco Latino nomini Graecam etymologiam adcommodare.* Idem animus in eo apparet, quod Graeca lingua saepius in hac particula *barbara* vel *peregrina* nominatur, qui usus apud alios grammaticos admodum est rarus. *Barbarum* legimus p. 55, 23 *peregrina* p. 53, 27. 56, 13. 59, 16.

Praeterea p. 52, 8 et 52, 22 idem nomen invenimus, ubi quidem cum reliqua disputatione translatum est ex libri I capite X p. 25, 8 quod Palaemonis est. Charisius tamen hoc illius capituli loco non verbo tenus excipit Palaemonis librum; etenim huius sententiam accurate relatam legimus p. 42, 29 ibique vox *peregrinus* non invenitur. Itaque p. 25, 8 aut a Charisio ipso vox haec Palaemonis verbis inserta est, aut statuendum est, illic et p. 52 eundem auctorem Charisio esse obversatum, quem initio capituli XV secutus est.

Huic particulae praeterea id est peculiare, quod Romanus ter in ea laudatur, dum in iis, quae sequuntur, nusquam eius nomen invenitur. Auctor igitur, quem Charisius initio capituli XV excipit, Romani ipsius usus esse libro videtur. Qui idem si in reliqua quoque parte auctor fuisset Charisii, mirum sane esset, quod in ea nomen Romani nusquam esset allatum licet nonnulla cum eius doctrina prorsus consentirent.

Inveniuntur autem etiam in priore capituli parte quaedam, in quibus exponendis nomen Romani desideratur, quamquam disputatio ex eius pendere videtur doctrina. Ita comparanda sunt:

52, 17—21	et cap. XVII	p. 143, 25—30
53, 3—9	" " " "	138, 18—139, 3
62, 9—20	" " " "	117, 18
		119, 3
		146, 31
63, 5—8	" " " "	143, 30.

Cur igitur nomen Romani hic deest, cum alibi sit laudatum? Ego quidem puto, ipsum Charisium quaedam hic disputationi auctoris sui addidisse. Cui suspicioni id favet, quod p. 62, 17 et 63, 5 quattuor inveniuntur exempla, quae apud Romanum desunt. Ubi igitur nomen Romani non est laudatum, non eius librum excipit esse puto, sed Charisium ex eodem auctore hausisse conicio, quem in posteriore capituli parte imprimis est secutus,

cuiusque libro ipsum Romanum in tractatu de analogia (i. e. capite XVII Charisii) perscribendo usum esse admodum est probabile¹⁾.

Notanda praeterea mihi videtur esse in hac priore capitis particula inopia exemplorum, quibus posterior pars abundat. Quae quidem omnia explicari poterunt, si diversos auctores initio et in iis quae sequuntur Charisium excerpisse statuerimus. Tum quoque id non offendet, quod controversiae ad eadem verba spectantes bis in eodem capite tractantur et aliquoties diverso diiudicantur modo:

cf. de *amphora* 55, 21 et 100, 14

de *margarita* 57, 27 „ 108, 4

de nominativo *plura* 60, 10 „ 73, 12²⁾

Antequam disputationem hanc concludam, id monendum mihi est, in priore hac capitis parte nusquam ea laudari, quae in capitibus, quae praecedunt, tractata sunt, cum in sequenti disputatione saepe id sit factum. Notanda quoque est diversitas terminorum grammaticorum. Declinationes in posteriore capitis parte saepissime nomine *ordinis* appellantur, quem loquendi usum in priore parte nusquam deprehendes. In hac denique parte controversiae ad singula nomina spectantes saepissime (noviens) inducuntur his verbis: *an . . . dicendum sit, quaeritur*, quae dicendi forma nusquam in altera capitis particula invenitur.

Quibus omnibus observationibus probatum esse puto disputationem de nominibus, quae vocalibus *a, e, i* terminantur, non ex eodem fluxisse fonte atque ea quae sequuntur. Statim tamen addam necesse est, in hac posteriore capitis parte quaedam licet admodum pauca apparere vestigia eiusdem doctrinae, quam in priore invenimus. Ita quae p. 63, 17—25 de *peregrinis* nominibus, ut e. g. *Ino* legimus, eidem tribuo auctori, quem Charisius in iis, quae praecedunt, secutus est. Antiqui enim sermonis usus contra graecam declinationem hic defenditur, quae observatio neque supra in capite X neque apud excerptorem quem dicunt Charisii invenitur, licet hic de iisdem disputaverit nominibus. In proxima pagina prorsus contraria probatur doctrina 64, 16, quae, ut omnia, quibus illa observatio p. 63, 19 inserta est, cum reliqua Charisii

¹⁾ De qua re infra disputabo.

²⁾ Terentii verba, quae 60, 11 Adelpis adiudicantur, 73, 15 et a Romano 125, 3 recte Phormioni adscripta invenimus. Charisius 73, 5 et Romanus 125, 3 ex eodem hauserunt fonte, 60, 11 Charisius alium quendam secutus est auctorem, qua observatione inaequalitas illa explicatur.

disputatione (Cf. pp. 29; 30; 39) et cum doctrina excerptoris consentit.

Praeterea non omittendum esse puto, in iis, quae 66, 11—22 legimus, bis inveniri adiectivum *peregrinus*, quamobrem etiam haec illi auctori tribuere ausim, quem Charisius initio capitis exscripsit.

Nunc ad reliquam capitis partem tractandam me converto. Quomodo quidem ea ab iis, quae praecedunt, differat, iam ex superiore disputatione apparet. Antequam vero alia, quibus a reliquis distinguatur, afferam, de ordine huius particulae in universum aliquid dicere necesse habeo.

Primum igitur tractantur nomina, quae litteris *o*, *u* terminantur optimoque ordine disputatio procedit, cum in iis, quae praecedunt, regulae, quae ad terminationes *a*, *e*, *i* spectant, expositae sint.

Quae vero sequuntur, ea ita sunt permixta et confusa, ut non facile sit intellectu, qua re ordo disputationis tantopere sit turbatus. Etenim inde a pagina 66, 11 usque ad p. 93, 3 hanc seriem terminationum deprehendimus:

as, es, ēs, um, us, er, ar, or, ur, ux, en, ex, is, ix, os, ox, ax.

Nemo certe contendet, Charisium consilio quodam hunc disputationis ordinem instituisse. Itaque necesse est, externas quae ramus causas, quibus haec confusio orta sit. Hae vero invenientur, si cum hac terminationum serie comparaverimus ordinem, quo Charisius Palaemonem secutus in capite X de eadem re disputavit et praeterea Romani tractatum de analogia inscriptum, quem Charisius in caput XVII libri primi transtulit.

Palaemonis igitur ordo hic fere est:

as, a, es, us, er, ir, a, al, an, ans, ar, ars, as, ax, e, el, en, ens, er, ēs, ēs, ex, il, in, is, ix, o, ol, on, or, os, ox, ul, ur, us, vis, ut, ux.

Atque prorsus similem invenies seriem apud illum grammaticum, quem Keilius vocavit Excerptorem Charisii. Primum igitur ordine vocalium observato primae et secundae declinationis terminationes pertractantur, tum eodem ordine de tertia declinatione disputatur. Cumque non minus litterarum consonantium quae vocales excipiunt ratio habita sit, distincto optimoque ordine disputatio procedit.

In capite XV autem terminationes complures desiderantur,

nomina diversarum declinationum permixta sunt, series denique litterarum non est servata.

Primum quidem Charisius Palaemonem secutus nomina syllabis *as, es* clausa tractavit. Sequitur terminatio *ēs*; atque si eam syllabae *is, us* exciperent, non ita pravus exsisteret ordo disputationis. Quem videtur re vera Charisius instituere voluisse; nam hoc modo tituli *er, ar, or, ur* sese excipiunt vestigiaque eiusdem ordinis etiam in reliquarum terminationum serie apparent. Cur autem terminationem *es* titulus *um* excipiat, eius rei causam ex pp. 70 et 140 inter se comparatis perspiciemus. Etenim p. 70, 25 adnotationem, quae ad nomen *pubis* pertinet, sequitur disputatio de genetivo substantivorum in *ium* exeuntium exemplique gratia apponitur nomen *Patavii*. Romanus autem p. 140, 19 eodem ordine controversias, quae ad haec nomina spectant, exposuit.

Inspexisse igitur hic Charisius videtur grammatici alicuius librum, qui nomina dubia alphabetico ordine collecta exhibebat et propterea ab instituto deerrasse ordine. Quem eundem librum Romani quoque fuisse fontem admodum est probabile. Regulae autem generales alienae sunt ab eiusmodi tractatu easque ex arte Palaemonis exscripsisse Charisium infra probabo.

Titulum porro *us* excipit terminatio *er*, quia in Palaemonis disputatione idem erat ordo, quod ex pp. 23, 45, 46 cognosces. Post terminationem *ur* tractatur titulus *ux*. In Palaemonis quidem serie tres tituli his duobus interponuntur (cf. p. 30). Si tamen consideraveris titulum *us* iam p. 74 a Charisio esse tractatum, terminationes autem *vis* et *ut* in hoc capite prorsus omissas, etiam hic Charisium in ordine disputationis instituendo Palaemonis vestigia pressisse persuasum habebis.

Ne omnia persequar minutiose, breviter addam, aliorum quoque titulorum ordinem hoc modo posse explicari.

Cur titulus <i>ex</i>	titulum <i>en</i>	excipiat,	perspicias	coll.	p. 28
n	<i>is</i>	n	<i>ex</i>	n	n
n	<i>ix</i>	n	<i>is</i>	n	n
n	<i>os</i>	n	<i>ix</i>	n	n
n	<i>ox</i>	n	<i>os</i>	n	n

p. 29
p. 29
p. 29—30
p. 30.

Etenim apud Palaemonem in capite X vel idem ordo est vel titulis, qui in capite XV sese excipiunt, interponuntur alii, quos Charisius (ut *er, es, o, on*) sub titulis *er, es, o* pp. 63, 67, 82 tractavit aut in capite XV prorsus omisit.

Cur autem titulos *ur*, *ux* titulus *en* excipiat, huius rei explicandae denuo Romanus copiam nobis dabit.

Etenim in capite XVII post controversiam, quae ad nomen *femur* spectat, paucis nominibus interpositis exponitur quaestio ad nomen *gluten* pertinens (cf. p. 131). Quod idem invenies p. 87 in capite quinto decimo. Etiam hic igitur series nominum, quam Charisius in illo libello de verbis dubiis invenit, ordinem turbavit disputationis.

Quaestio haec sane non ita magni esse momenti videri potest, ostendit tamen, ex duobus fontibus fluxisse hic Charisii doctrinam. Regulas generales ex alio libro, ex alio singulorum nominum controversias exscripsit. Quod quidem luculenter aliis quoque argumentis probari potest.

Disputationi de nominibus littera *o* terminatis subiciuntur 64, 26. 31 duae observationes singulares, quarum altera iis, quae praecedunt, prorsus repugnat. Quae praecedunt, ea Palaemonis esse probabo, illa autem observatio ex eodem fluxit fonte, ex quo hausit Romanus p. 118, 3—6.

Quamvis veteres hic Aenea dixerint sine s, ut Varro in Age modo legimus porro p. 66, 17 quorum verborum similia invenies in Romani tractatu p. 120, 32. Sed in capite XV tam inepte haec observatio inserta est disputationi, ut statim cognoscas, duos hic a Charisio exscriptos esse auctores. Attamen, cum p. 66, 11 Charisio eundem auctorem, quem in priore capitis parte imprimis secutus est, observatum esse supra coniecerim, alibi quaerenda sunt argumenta ad opinionem quam protuli firmandam.

Consideranda igitur sunt verba, quae 68, 16 legimus. Disputationi de nominibus *es* syllaba terminatis subicitur hic observatio ad usum Vergilii pertinens, cuius similem legimus p. 124, 10. Apud Romanum quidem nihil ea offendit, in capite XV autem tam inepte praecedenti adiuncta est regulae, ut dubitari nequeat, quin Charisius disputationi auctoris sui quaedam addiderit, quae ab alio mutuatus sit scriptore.

Quibus omnibus luculenter probatum esse puto, in altera capitis XV parte ex duorum scriptorum libris hausisse Charisium.

Quorum alterum Palaemonem fuisse supra iam monueram atque nunc id probare conabor. Iam in dissertatione mea, quam *Quaestiones Quintilianae* inscriptam a. 1874 Posnaniae edidi complures XV capitis observationes, quae a particula *quare* incipiunt,

huic vindicavi auctori. Qua in sententia erat erroris aliquid, erat et aliquid veri. Certe enim non solus Palaemon quaestionibus grammaticis particulam illam praeponerat neque illius tantum usu nixus aliquid huic grammatico tribuere ausim. Itaque confiteor, me in dissertatione illa errasse, cum propter verba: *quare non ipsud, ut illud et istud*, quae ap. Char. p. 158, 16 leguntur, tractatum *de pronomine* (ap. Char. p. 157—159) Palaemonis esse suspicatus sum. Eadem enim verba invenies apud Excerptorem illum, a Keilio Excerptorem Charisii nominatum, I 558, 3 K quo loco Palaemonis doctrinae vestigia nulla apparent, praeterea apud Palaemonem falsum V 541, 32 K et apud auctorem fragmenti Bobiensis de pronomine V 565, 26 K qui scriptores neque ex Charisio neque ex Palaemone sua hauserunt.

Concedendum tamen est, similem loquendi formam raro apud grammaticos scriptores inveniri, quaeque eius modi in arte Charisii appareant, exceptis iis, quae modo memoravi, ea Palaemonis esse. Quod idem fere de omnibus regulis generalibus, quas in capite XV inde a p. 63 legimus, statui potest.

Etenim in his disputationis partibus capitum superiorum ea laudantur, quae Palaemonis esse constat¹⁾, porro particula *velut* saepe in iis repetitur, consensus denique cum aliis artis Charisianae partibus, quas ex Palaemonis libro fluxisse certum est, saepe tam est magnus, ut dubitari nequeat, quin idem auctor talia Charisio praebuerit²⁾.

Quae igitur de terminatione *o* legimus p. 63, 8—17. 63, 31—64, 26, ea certe sunt Palaemonis. Conferendae sunt in capite X libri I pp. 29; 30 et apud Excerptorem³⁾ p. 543. *Velut* identidem in hac particula invenies.

Similibus de causis adiudicanda sunt Palaemoni, quae legimus: p. 65, 29—30. 66, 6—11 de terminatione *u* cf. Char. p. 31. de term. *as, es* p. 66, 22—68, 16. 68, 27—70, 15 cf. Char. p. 19; 28, apud Exc. p. 541 sq.

¹⁾ Caput X: 67, 5. 70, 15. 85, 18. 87, 14. Caput XIV: 74, 8. 89, 34.

²⁾ Quae in capite X breviter exponuntur, ea saepissime accurate tractantur in capite XV. Hic igitur diligentius exscripsit Charisius Palaemonis artem.

³⁾ Hunc excerptorem non tantum ex Charisii arte, sed etiam ex integro Palaemonis hausisse libro probabiliter Christius coniecit (l. c.). Aliis omissis id mihi notandum esse videtur, observationes illas de latina nominum, ut Manto Antipho declinatione apud Excerptorem non inveniri.

- de term. *us* 74, 5—27 cf. Char. p. 22.
 „ *er* 82, 13—21 cf. Char. p. 46.
 „ „ 84, 12—85, 6 cf. Char. p. 24.
 „ *ar* 85, 17—23 cf. Char. p. 26.
 „ *or* 85, 23—86, 7 cf. Char. p. 43.
 „ *ur* 86, 15—87, 1 cf. Char. p. 30.
 „ *ux* 87, 8—87, 13 cf. Char. p. 30.
 „ *en* 87, 13—21 cf. Char. pp. 28; 38.
 „ *ex* 88, 5—10. 88, 22—29 cf. Excerpt. p. 542, 14.
 „ *is* 88, 29—89, 17 cf. Char. p. 41, Exc. p. 542, 26.
 „ *ix* 91, 22—26. 91, 29—30 cf. Char. p. 29, Excerpt.
 p. 542, 38.
 „ *os* 91, 31—92, 16 cf. Char. p. 30, Exc. p. 543, 37.
 „ *ox* 92, 17—22 cf. Exc. p. 544, 1.

In his particulis Palaemonianum illud *velut* quinquagens semel invenitur. Praeterea id est animadvertendum, graecas formas saepius in his observationibus comparari cum latinis, quod sedulo Palaemonem fecisse monuit Keilius Vol. I praef. XLIX.

Admodum igitur paucae observationes generales in hac capitis X particula leguntur, quae pro certo Palaemoni tribui non possint. Ita sub littera *m* certa Palaemonianae doctrinae vestigia desunt, cuius tamen rei explicationem supra invenies. Praeterea tantum p. 85, 13—17 et 89, 17—21 quaedam de singulis casibus nominum *ex* et *is* terminatorum leguntur, quae firmis argumentis Palaemoni vindicari nequeant, licet ab eius doctrina non sint aliena.

Eiusdem Palaemonis artem saepius Charisius exscripsit, imprimis vero in capite X libri primi. Notandum quidem est, illi auctori peculiarem fuisse usum verbi *efferr* in designandis nominum terminationibus. Hac enim observatione firmabitur opinio, quam modo de aliquot XV capitis particulis protuli.

In capite X libri primi legitur hoc verbum semel et viciens, apud excerptorem in particula (p. 537, 15—547, 39), quam ex integro Palaemonis libro magna ex parte sumpsisse videtur (cf. Christ. Philol. 18, 137) triciens semel. Praeterea idem verbum in Charisii arte frequentius usurpatum non invenies, nisi in capite libri primi XIV (septiens), quod multa Palaemoniana continet, porro sexiens in Palaemonis tractatu de coniunctione Char. p. 225, 6 saepissime vero in capitis quinti decimi particulis, quas modo eidem vindicavi auctori.

Ita p. 63, 31 — 64, 26	invenies	<i>efferrī</i>	quinq̄iens
p. 66, 22 — 68, 15	„	„	sexiens
p. 68, 33 — 69, 17	„	„	bis
p. 70, 9 — 15	„	„	„
p. 74, 5 — 27	„	„	semel
p. 82, 13 — 21	„	„	„
p. 84, 12 — 85, 5	„	„	ter
p. 85, 17 — 22	„	„	semel
p. 88, 5 — 89, 16	„	„	quinq̄iens
p. 91, 31 — 92, 22	„	„	bis.

In his igitur Palaemonianis particulis XV capitis viciens octiens verbum *efferrī* legitur, dum in reliqua eiusdem capitis disputatione non frequentius, quam noviens usurpatum invenies, saepissime quidem in locutione *scriptor extulit*.

Apud alios scriptores grammaticos verbum id raro usurpatur¹⁾, frequentiore eius usum invenies tantum apud Diomedem, qui ex iisdem atque Charisius hausit fontibus, imprimis in particula I p. 388, 10 — 396, 16 K ex Palaemonis arte exscripta, praeterea duodeciens in tractatu *de consensu verborum cum casibus* p. 310, 30 — 320, 20 K. Habemus quidem brevem disputationem ad eandem quaestionem spectantem apud Charisium p. 291 — 292, 15 quae probabiliter Palaemoni adscribitur. Videtur tamen Charisius hic auctoris sui disputationem contraxisse. Nam initio illius capitis Diomedis, quod memoravi, quaedam eorum, quae apud Charisium legimus, prorsus similia, accuratius tamen exposita invenies. Diomedis igitur disputatio magna ex parte Palaemonis doctrina innixa esse mihi videtur, praesertim cum particula *velut* quater deciens in ea inveniatur et praeterea *accusativus* casus duodeciens *incusativus* nominetur, quem usum apud alios grammaticos admodum raro, apud Palaemonem vero aliquotiens deprehendi: apud Charisium in capite X libri primi ter, apud excerptorem in particula ex Palaemone exscripta quater, praeterea apud Charisium, ubi Palaemonem secutus est, p. 231, 2 et 254, 2. 5 in libri primi denique capite XIV, quod multa Palaemoniana exhibet, p. 47, 15.

¹⁾ E. g. apud Varronem de L. L. sexiens, in libri sexti capite VII bis, bis in libro octavo cap. I et XXVIII, itemque bis in libro nono cap. XXVII et XLVI.

De reliquis, quae quinto decimo capite continentur, non ita multa afferre possum. Ita quidem diiudicare non audeo, cuinam auctori ea sint tribuenda quae p. 93, 3 — 94, 8 legimus, quibusque alteram capituli partem in duas minores particulas dividi iam observaveram. Initio quidem vulgares et tritas invenimus observationes, in fine de analogia quaedam proferuntur atque Velius Longus laudatur, cuius nomen hoc loco excepto in XV capite nusquam apparet. Quae vero in medio leguntur ex eodem fonte fluxerunt, ex quo Charisius reliquas observationes, quae ad singula verba spectant, hausit. De hoc quidem auctore quaedam nunc proferam.

Supra iam monueram, non ex eodem auctore excerpisse Charisium generales regulas et observationes singulares, quae illis interpositae sunt. Attigeram quoque iam consensum, qui inter hanc capituli particulam et caput XVII ex Romano exscriptum intercedit. Quem quidem consensum recte sine dubio Christius explicavit statuendo, Charisium in capite XV non ex Romani *de analogia* tractatu, sed utrumque grammaticum ex uno eodemque hausisse fonte (cf. Christii argumenta in Phil. vol. XVIII p. 122). Omnem dubitationem tollit mea opinione comparatio p. 89, 24 et p. 132, 27. Hoc enim loco Romanus leviter controversiam degustavit atque ad librum suum *de consortio casuum* relegat, cum apud Charisium plenior et magis accuratam inveniamus disputationem. Non igitur ex Romani libro *de analogia* Charisius hausit, quae apud eum legimus. Praeterea, si Charisius in XV et XVII caput ex eodem Romano quaedam transtulisset, mirum sane esset, quod in capite XV contra usum Romani scriptor Aeneidos Vergilii nomine sit nuncupatus, cum in capite XVII uno loco excepto semper tantum cognomen positum sit. Quae quidem offensio Christii explicatione prorsus tollitur.

Idem tamen Christius errasse mihi videtur, cum statueret, has singulares observationes ut reliqua quoque capituli XV ex Flavii Capri *de Latinitate* libro sumpta esse. Magnam quidem capituli partem Palaemoni iam vindicavi.

In his autem observationibus, quae ad singula verba spectant, inveniuntur re vera quaedam Capri doctrinae vestigia. Ita nomen eius vel libri laudantur in capite XV p. 77, 20 (ex coniectura Fabricii), in capite XVII p. 118, 1. 123, 18 (ex coniectura Keilii), 132, 6. 145, 20. 23. Praeterea p. 131, 2 legimus apud Romanum

haec: *femen enim nominativo ut semen necdum legimus a veteribus adsertum*. Qua quidem observatione respexisse scriptor videtur ad Caprum, quem ex Servio ad Verg. Aen. X 344 et 788 nominativum *femen* probasse comperimus, licet hic nunquam usurpatus esset, ut ipse Caper commemoraverit. Alibi quoque, ubi nomen Capri non laudatur, doctrinam eius latere Keilius coniecit (cf. G. L. V 570 et sqq. adnot.) et consensum, qui inter controversiarum expositionem apud Charisium et tractatum de dubiis nominibus V p. 571—594 K intercedit, inde ortum esse statuit, quod uterque grammaticus Capri inniteretur doctrina.

Attamen ex his sparsis vestigiis non sequitur, Caprum auctorem nedum praecipuum Charisii et Romani hic fuisse. Doctrina enim, quae in his operis Charisiani particulis exponitur, prorsus a Capri praeceptis est aliena. Consuetudo ante omnia sequenda esse dicitur atque cum hoc consuetudinis defendendae studium in utroque appareat capite, manifestum est, a communi Charisii et Romani auctore doctrinam illam fuisse probatam. Caper vero *antiquitatis doctissimus inquisitor* (Prisc. I 354, 9 H) rationis et antiquorum amore formas, ut *veter*, *citer*, *nuperus*, *laccessi* e. s. contra consuetudinem commendabat.

Litterarum quidem ordinem alphabeticum in his controversiis exponendis esse observatum supra iam monui. Cuius rei adhuc plura invenies indicia. Ita pp. 63; 64; 65 tractantur controversiae ad nomina *Allecto*, *Antipho*, *ambo* spectantes (cf. apud Romanum p. 117; 118; 119). Idem ordo apparet p. 71, 16. 72, 19. 77, 5. 81, 6. 86, 8. 99, 8. 100. 102, 4. 103, 12. 104, 1. Praeterea inde a p. 105, 5 usque ad p. 110 totam seriem nominum invenimus, quae imprimis litteris *p* et *s* incipiunt; p. 111 denique titulum *peregre sequitur quando*. Quod ordo hic apud Charisium plerumque est turbatus, non erit mirum, si consideraveris, hunc grammaticum ad terminationes magna in capitis parte respexisse. Eandem rationem auctor eius, a quo illas singulares observationes mutuatus est, prorsus servare non potuit, aliquotiens tamen id fecisse videtur. Quod idem observabis non raro in enumeratione Romani e. g. p. 130, 13.

Reiecta tamen Christii opinione ipse equidem fontem ex quo ea fluxerint, quae in disputatione Charisii et Romani consentiunt, designare non audeo; omninoque incertum est, quinam fuerint Charisii auctores in iis capitis XV partibus, quae Palaemoni adsignari

non possunt. Keilius quidem initio capitis nomen Comminiani excidisse recte fortasse coniecit. Nescio vero an disputatio de terminationibus *a, e, i* eidem tribuenda sit auctori. Etenim praeter paucas illas observationes, quae nimio antiquitatis amore a ceteris distinguuntur, tritam et vulgarem in hac parte invenies doctrinam, quae a Comminiano non est aliena. Cum tamen certis argumentis hanc coniecturam firmare non possim, aliis relinquo, ut singularum partium, quibus totum caput constat, auctores eruant.

De Palaemonis illius, cuius artem posteriores grammatici exscripserunt, aetate, diversae sunt adhuc VV. DD. opiniones. Qui nuper quaestionem hanc attigit Keilius (Gr. Lat. V 334) nihil certi in hac re statuit neque diiudicari posse contendit, utrum posteriores grammatici librum Remmii Palaemonis nomine inscriptum et diuturno scholarum usu tractatum adhibuerint, an post hunc fuerit grammaticus nomine Palaemon, qui istum librum scripserit. De eo tantum dubitari posse negat, quin hic grammaticus aliquanto antiquior sit, quam ii, qui sub finem quarti saeculi de arte scripserint. Idemque Keilius refutavit Schottmuelleri sententiam, qui hunc Palaemonem a posterioribus saepe laudatum quarto saeculo p. Chr. vixisse contendit.

Mihi quidem videtur grammaticus ille idem esse atque Remmii Palaemon. Quamquam concedo ea, quae posteriores ex illius arte exscripsisse videntur, continere multa, quae in Remmii aetatem non prorsus quadrent. Ita Schottmuellerus quidem eo est offensus, quod in Palaemonis disputatione apud Charisium p. 225 Plinii facta sit memoria. Pliniana vero doctrinae vestigia etiam alibi invenies, ubi Charisius Palaemonem secutus esse videtur. Ita in libri primi capite X ea, quae p. 25, 26 de declinatione nominis Titan proferuntur, Pliniana sunt (cf. Char. p. 145, 5). Item in Palaemonis tractatu de adverbio p. 187, 20 Plinius laudatur eademque huius grammatici de gerundio doctrina apparet etiam in tractatu de verbo Char. p. 172, 18. 175, 27 quem Schottmuellerus et alii iure Palaemoni adsignaverunt. Quamvis equidem contendere non ausim Remmii Palaemonem ipsum talia ex Plinii libris dubii sermonis hausisse, quos hic circa annum 66 p. Chr. perscripsit, haec difficultas etiam alio modo tolli potest. Etenim si consideraverimus, Palaemonis librum in scholis fuisse usurpatum (apparet hoc imprimis ex Iuvenalis verbis Sat. 6, 452 et 7, 215 ubi Palaemon quasi grammaticus κατ' ἐξοχήν nominatur), probabilis

videbitur suspicio, scholasticae huic arti multas interpolationes a posterioribus esse insertas.

Magni vero momenti ad litem hanc diiudicandam videtur mihi esse Christii illa (cf. Phil. 18, 126) ad terminum *qualitatis* spectans observatio, scilicet ad modos designandos idem nomen a Quintiliano, qui Remmiam Palaemonem audiit et secutus est (cf. Claussenii quaestiones Quintilianae p. 388) et a Charisiano illo Palaemone usurpari. Fortasse autem etiam alia apud Fabium inveniri possunt, quae Charisiani Palaemonis doctrinae vel elocutionis admoneant.

Leguntur certe quaedam apud Quintilianum eorum similia, quae a Charisio ex Palaemonis arte excerpta esse constat. Ita, ut alia leviora praetermittam, ea, quae Fabius I 4, 28 dicit, admoment disputationis Palaemonianae apud Charisium p. 253 et 291. Exemplum quoque idem apud utrumque invenitur auctorem. Ex hoc tamen consensu nihil colligere ausim, cum similia etiam apud alios legantur grammaticos, qui omnino alius ab alio exempla et totas disputationis particulas sunt mutuati.

Fortasse vero id fuerit alicuius ad quaestionem solvendam momenti, quod iidem termini grammatici et locutiones, quae Charisianus Palaemon usurpavit, apud Quintilianum inveniuntur. Ita notabo dicendi formam, quae in controversiis grammaticis exponendis ter apud Charisium, ubi hic ex Palaemonis hausit arte, repetitur:

p. 66, 22 *solet venire in quaestionem, quare Aeneas Aeneae etc.*

p. 68, 33 *haec in quaestionem veniunt, velut quare nubes nubis etc.*

p. 86, 16 *quidam ferunt in quaestionem, quare fur furis etc.*

Quam loquendi rationem apud alios scriptores grammaticos raro deprehendi. Legitur enim eadem vel similis tantum apud Diomedem I 382, 10 K., apud Probum IV 142, 12 K., apud Pompeium V 153, 20 K., 188, 18. 245, 2. 245, 20. 273, 3. 4. 22. 274, 32, apud Eutychem V 451, 32 K., apud Priscianum I 282, 3 H. Cf. etiam Pomp. 189, 4. Prisc. II 169, 6 H. et Macrobbii Sat. III 11, 5.

Similem vero locutionem et prorsus simili modo usurpatam invenies apud Quintilianum I 6, 5: *si veniat in dubium, hac domu dicendum sit an hac domo.*

354 MORAWSKI, QUAESTIONUM CHARISIANARUM SPECIMEN

Maiores autem est momenti, quod apud Fabium idem verbi *efferr* deprehenditur usus, quem modo Palaemoni peculiarem fuisse probavi. Ita legimus: I 5, 16: *pluralia singulariter et singularia pluraliter efferuntur*. I 5, 64: *quae poterunt utroque modo non indecenter efferri*. I 7, 18: *ae syllabam varie per a et i efferebant*. II 14, 2: *oratoria vis effertur ut elocutoria*. IX 3, 7: *pleraque utroque modo efferuntur „luxuriatur, luxuriat . . .“*.

Cf. etiam VIII 3, 40. IX 4, 13. 33. X 2, 17. XI 3, 2.

Breslau.

C. von MORAWSKI.
